

In toto Ægypti regno exterminavit *Exod. XII.* Unus Angelus unius tridui spatio in Israël ex subditis Davidis septuaginta virorum millia perdidit *II. Samuel. ult.* Unus Angelus Domini unâ nocte in castris Assyriorum centena octoginta quinque millia militum trucidavit *II. Regg. XIX.* Ordo verò Angelorum notus est ei, qui eos ordinavit, piè dicimus cum *Nazianzeno*, quum non sit fragilitatis nostræ hæc secreta cœlorum discutere, aut cum *Dionysio* quodam novenario numero limitare, licet interim legamus *nomina* ipsorum quædam tùm *communia*, ut Seraphim, Cherubim, Thronos, Dominationes, Potestates, Virtutes, Archangelos; tùm *singularia*, ut Michaëlem, Gabrielem, Raphaëlem, Jeremielem, Uriëlem, Salathielem. Apparitionem verò probant & confirmant quædam istarum appellationum: Apparuerunt in formâ *animalis, hominis juvenis, leonis*, quod præsertim patet ex *Ezechielis capp. I, X, XLI.* unde appellantur *Cherubim*: apparuerunt in specie *ignis flammantis* apud *Jesaiam c. VI.* unde etiam vocantur *Seraphim & ignis flammans* *Psal. CIV, 4. (*)* quod ipsum repetitur *Ebraor. I, 7.* Addunt nonnulli, dici *ardentes* propter amorem justitiæ, quam unicè amant, sunt enim *judiciorum Dei executores* tùm in *electos* tùm in *reprobos.*

IV.
Ordo,V.
Apparitione.

Sed nunc de ipsorum dicamus Officio, quod commodè consideratur pro ratione *triplicium* objectorum, *Dei* nempe, *Christi incarnati*, & *nostri*, hominum inquam. Quod primum attinet, *duplici* modo Angeli Deo inserviunt, alter est ψ *αλμωδία*,

VI.
Officium,

A 2

&

(*) Notabilia sunt in h. l. verba *Piscatoris Herbornensis*: Hanc esse genuinam istorum verborum syntaxin, ut scilicet sermo sit de angelis, non autem de ventis & igne, probatur tùm ex allegatione Apostoli *Ebr. I, 7.* tum ex ipsis verbis. Nam si de *igne*, ac proinde etiam de *ventis* loqueretur, non diceret, *Facit ignem ministros suos numero plurali*, talis enim sermo ineptus est, sed uteretur *numero singulari* dicendo, *facit ignem ministrum suum.*